



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Divi Avrelii Avgvstini Hippon. Episcopi Meditationes,
Soliloquia et Manuale**

Augustinus, Aurelius

Coloniae Agrippinae, 1649

Quod visio Dei perdita sit propter peccatum, & miseria inventa sit, 31

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54885](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54885)

2. Eia nunc ergo, Domine Deus meus, tu doce cor meum, ubi & quomodo te quærat, ubi & quomodo te inueniat. Domine, si hic non es, ubi te quæram absentem? Si autem ubique es, cur te non video præsentem? Sed certe habitas lucem inaccessibilem. Sed quomodo accedam ad lucem inaccessibilem? Aut quis me deducet & inducet in illam, ut videam te in illa? Deinde, quibus signis, qua facie te quæram? Nunquam te vidi, Domine Deus meus, nunquam novi faciem tuam. Quid faciet, altissime Domine, quid faciet iste longinquus exul tuus; Quid faciet servus tuus anxius amore tui, & longe projectus à facie tua? En anhelat videre te, & nimis illi abest facies tua. Accedere ad te desiderat, & inaccessibilis est habitatio tua. Invenire te cupit, & nescit locum suum. Quærere te affectat, & ignorat vultum tuum.

C A P V T XXXI.

*Quod visio Dei perdita sit propter peccatum,
& miseria inventa sit.*

I. **D**omine, Deus meus es tu & Dominus meus, & nunquam vidi te: tu me fecisti, & refecisti, & omnia bona tua mihi contulisti; & nondum vidi te, neque novi. Denique ad te videndum factus sum, & nondum feci id, propter quod factus sum. O misera sors hominis cum hoc perdidit, ad quod factus est! O dirus ac durus casus ille! Heu, quid perdidit, & quid invenit? Quid abscessit, & quid remansit? Perdidit beatitudinem,
ad

ad quam factus est; & invenit miseriam ad quam factus non est. Abscessit, sine quo nihil foelix est; & remansit, quod per se non nisi miserum est. Manducabat tunc homo panem Angelorum, quem nunc esurit: manducat nunc panem dolorum, quem tunc nesciebat.

2. O tu Domine, usquequo? usquequo Domine oblivisceris nos? usquequo avertis faciem tuam à nobis? Quando respicies & exaudies nos. Quando illuminabis oculos nostros & ostendes nobis faciem tuam? quando restitues te nobis? Respice Domine & exaudi; & illumina nos, & ostende nobis te ipsum. Restitue te nobis, ut bene sit nobis, sine quo tam male est nobis. Miserare labores & conatus nostros ad te, qui nihil valemus sine te. Invita nos, adjuva nos. Obsecro, Domine, ne desperem suspirando, sed respirem sperando. Obsecro, Domine, amaricatum est cor meum sui desolatione, indulca illud tua consolatione. Obsecro Domine, esuriens cœpi quærere te, ne deserar jejunos à te; famelicus accessi, ne recedam impastus; pauper veni ad divitem, miser ad misericordem, ne recedam vacuus & contemptus.

3. Domine, incurvatus sum, & non possum nisi deorsum aspicere. Erige me, ut possim sursum intendere. Iniquitates meæ supergressæ sunt caput meum, obvolverunt me, & sicut onus grave gravarunt me. Evolve me, & exonera me, ne urgeat super me puteus os suum. Liceat mihi suspicere lucem tuam vel de longo vel de profundo. Doce
me

me quærere te, & ostende te quærenti; quia nec quærere te possum, nisi doceas tu, nec invenire, nisi te ostendas. Quæram te desiderando, desiderem te quærendo, inveniam amando, amem inveniando.

C A P V T XXXII.

De bonitate Dei.

1. **F**Ateor, Domine, & gratias ago, qui creasti in me hanc imaginem tuam: ut tui memor, te cogitem, te amem. Sed sic est oblita attritione vitiorum, sic est obfuscata fumo peccatorum: ut non possit facere ad quod facta est, nisi tu renoves & reformes eam. Non tento, Domine, penetrare altitudinem tuam, quia nullatenus comparo illi intellectum meum. Desidero aliquatenus intelligere veritatem tuam, quam credit & diligit cor meum; neque enim quæro intelligere ut credam, sed credo ut intelligam. Ergo, Domine, qui das fidei intellectum, da mihi ut quantum scis expedire intelligam, quia es sicut credimus, & hoc es quod credimus: quia credimus te esse aliquid, quo nihil majus aut melius cogitari possit. Quid ergo es, Domine Deus? Quo majus meliusve nihil valet cogitari. Sed hoc quid est, nisi quod summum omnium solum existens per se ipsum, omnia alia fecit ex nihilo? Quicquid hoc non est, minus eo est quo nihil majus possit excogitari: sed hoc de te cogitari non potest. Quod ergo bonum deest summo bono, per quod omne bonum? Tu es itaque justus, verax, beatus, & quidquid melius est esse, quam non esse.

2. Verum